

se exferat scribendi dicendique licentia. Cujus immoderatæ licentiæ vox longe lateque percrebuit & omnes non modo litteratorum hominum cœtus, sed ipsas etiam opificum tabernas & officinas penetravit. Neque id mirum videri debet, cum ipsius Neologiæ magna vis sit ad alliciendos omnis generis homines novarum rerum cupidos. In quibus etsi sint plurimi, qui v. c. de philosophiæ formarum aut omnino nihil intelligunt; ipsum tamen impugnandi studium vel multitudini arridet, quod novum videtur, & aliquam conciliare acuti ingenii speciem. In ceteris humanis artibus & disciplinis similiter juvat exagitare, quicquid aut usu receptum est, aut majorum fide atque auctoritate probatum & sancitum. Cum vero Theologiæ res agitur, & doctrinæ christianæ forma in discrimen vocatur, tunc quidem nemo fere tam imbecillus est ex iis, qui cultiores videri volunt, quin hujus rei iudicium ad se pertinere putet, adeoque cupide excipiat, celebret, jactet, quæ vel legendo vel audiendo acceperit de doctrinæ priscæ vanitate & superstitione, de multorum hujus ætatis conatibus, religionem christianam ab opinionum figmentis repurgandi & humanæ rationi apte convenienterque describendi, de abolendis libris symbolicis, de ejiciendis ac proscribendis majorum regulis & libris, & quæ reliqua sunt hujus generis molimina & consilia.

Magistrorum in scholis utique est, ingenia formare ad seculi cujusque indolem & usum, nec committere, ut, qui ipsorum doctrina usi sunt iuvenes, fuissent illi quidem rebus agendis apti & idonei, si forte vixissent ante hos centum annos, iidem vero nunc, quoniam ipsorum ætas in hæc incidit tempora, ita inepti reperiantur, ut, si relictis scholarum subselliis, accedant ad hujus, qui nunc obtinet, vitæ usum, subito quasi de cœlo videantur delapsi. Sed eorundem etiam præceptorum est, discipulis tradere, quid per se & semper rectum sit, nulla temporis habita ratione, quid utile, quid honestum quæ sit natura veri, quæ certi indoles, quæ vis & qui fons illius investigandi. Cujus doctrinæ etsi aliis temporibus alia solet esse facies & forma, aliqua tamen sit necesse est, illiusque non potest non esse certa quædam ratio ab æternis & indubitatis principiis profecta, qua perspecta, causæ rerum cognoscuntur atque exitus. At, qui omnes omnino vituperant disciplinarum formas, qui dogmaticis rerum divinarum humanarumque magistris bellum indixisse videntur, quid tandem aliud agunt, quam ut vana omnia & incerta esse

esse